

VINUM «CUI MODICA AQUA MISCENDA EST»

SUMMARIVM: Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium omisit mentionem de aqua miscenda vino in sacrificio eucharistico offerendo. Id iuxta antiquam praxim ecclesiae armenae quae et cuius rationes exponuntur. Deinde consideratur praxis aliarum ecclesiarum orientalium praxi armenorum contraria. Tandem consequentiae, etiam sub respectu oecumenismi, huiusmodi omissionis, quae consideratur sine serio fundamento, exponuntur.

I. Praxis armenorum

Traditio universalis, latina et orientalis, catholica et non catholica, constanter et unanimiter usa est aquam in vinum eucharisticum ante consacrationem infundere. Armeni, tamen, acatholici, imo etiam saepe catholici, vinum purum in sacrificio eucharistico adhibuerunt, ad S. GREGORIUM, ILLUMINATOREM, se appellantes ad hunc modum agendi propugnandum, quae tamen appellatio, et consequens praxis, tempore posteriore, fortasse post Concilium Chalcedonense (451), ortae sunt.

Opinio secundum quam S. GREGORIUS, in faciendo sacrificio eucharistico vinum purum absque aqua adhibuit, non videtur vero fundamento niti¹. Etenim,

¹ «... il est impossible d'en monter l'origine dans l'histoire de Gregorie. Rien ne prouve, par exemple, qu'il employé le vin pur» (TOURNEBIZE «Histoire Politique et Religieuse de l'Arménie», Paris (1900), 580.

GREGORIOUS, dictus Illuminator, natus probabiliter anno 237 aut, iuxta alios, anno 241. Degens Caesarea, post eius educationem, sacerdos factus est a Leoncio, esarcha caesariensi, a quo etiam episcopus est sacra-
tus, anno 305, et tandem primus «Catholicos» armeniorum fuit creatus. Doctrinam catholicam et disciplinam liturgicam in illa dioecesi vigentem, in qua aqua in vinum infundebatur, optime noverat, et nihil affer-
tur ad convincendam immutationem disciplinae pro armenis a GREGORIO inductae.

Revera in canonibus GREGORII, nihil de vino puro invenitur, nec haec formula videtur adhibita. Nec invenitur in canonibus, originis graecae, a S. GREGORIO assumptis et quos S. ISAAC, patriarcha (s. 5), promulgari iussit². Ipse S. ISAAC, in descriptione ecclesiae, cum ad altare pervenit, ait: «In eis (scilicet, oratoriis) erectum est quoque altare dominicale super quod panem et vinum offerimus»³.

Enuntiatio vini, sine qualificativo «puri», in quo maior pars est sacrificii, exclusionem aquae nullatenus importat, ut constat ex modo consueto loquendi, et quia tunc temporis, propter diffusionem haeresis Ebionitorum, qui sacrificia solo pane et aqua peragebant, mentio aquae opportuna non videbatur. Ebioniti enim, sacrificium solo pane et aqua faciebant, quia vinum, ut ipsi aiebant, res est diabolica, eoque in propriis epulis, etiam ob ascetismum, privabantur⁴.

² «Hae constitutiones canonum exaratae fuere iussu beati ISAACCI magni patriarchae totius Armeniae, quae ipse a summo Christi martyre GREGORIO, episcopo, accepit, quae nunc primum a graeco in haicanum idioma translatae fuerunt» Mai, X, 369s 385).

³ Mai, o.c., X, pag. 282.

⁴ S. IRAENEUS, «Contra haereses», lib. V, PG 7 1123; S. EPIPHANIUS «Adversus haereses» lib. 1, vol. 2, PG 41, 451: «... et

Idem ISAAC, patriarcha, anno 432 Synodum in oppido Astisat congregavit, in qua Concilium Ephesi (431) cum damnatione NESTORII ab omnibus episcopis armenis receptum fuit. Cum ab episcopo constantinopolitano litteras contra doctrinam THEODORI MOPSUESTENI et DIADORI a TARSO recepisset, ISAAC novam Synodum anno 435 adunavit ad errores nestorianismi et monophysitismi refellendos, qui, in linguam armenam traslati, diffundebantur etiam in Armenia⁵.

Hae doctrinae videntur fuisse causa vera praxis armenae de aqua in sacra Liturgia non adhibenda, quamvis maioris momenti in hac re fuit Concilium Chalcedonense (451), cuius doctrinam non recte intellexerunt episcopi armeni adssistentes, qui, etiam propter aversionem contra populum graecum, inducti fuerunt ad plenam separationem a Constantinopoli, et logice, etiam a Roma. Concilio Chalcedonensi celebrato, paucis annis postea, NERSES, «Catholicos», anno 527 in Synodo in civitate Tovin congregata, declaravit plenam separationem ab Ecclesia universali, quam separationem, non obstante animadversione facta a CYRION, «Catholicos» Georgiae, ABRAHAM I, «Catholicos» Armeniae, in Synodo anni 596 confirmavit, et unam tantum naturam in Christo admisit⁶.

Tempore autem «Catholicos» ESDRAS (628-640),

ex christianarum Ecclesiaeque imitatione, mysteria quaedam quotannis celebrant in quibus panes azymos et ad alteram partem meram aquam adhibent. Duos a Deo constitutos asserunt christum et diabolum». Et HEUTEBIZE dicit «Ils celebrent les mysteres sancti mais rien qu'avec du pain azyme et de l'eau... le vin étant exclu de leur sacrifice comme aussi de leurs repàs pour motifs d'ascetisme». DThC, V 1992/3.

⁵ TOURNEBIZE, o.c., p. 78.

⁶ TOURNEBIZE, o.c., pp. 92ss.

confusione reiecta, episcopi armeni cum episcopis graecis in Synodo Garin (circa annum 629) congregati, Concilium Chalcedonense receperunt, et rursus aqua cum vino in Sacra Liturgia usi sunt; sed post paucos annos, aquam in vinum eucharisticum infundere iterum omiserunt.

Anno 691 habitum est Concilium in Trullo, in cuius canone 32 non solum armenos aquam in vino in Liturgia non adhibentes damnavit, sed etiam, post declarationem mentis S. CHRYSOSTOMI, presbyterum et episcopum aquam in vinum eucharisticum non infundentes poena depositionis puniendos declaravit. At IOHANNES OZNIENSIS, Philosophus dictus, et «Catholicos» ab anno 718, in Synodo armeniae in urbe Tuin Orationem Synodalem habuit, in qua expresse ad S. GREGORIUM ILLUMINATOREM appellavit ad praxim armeniorum tuendam; et modum agendi armenorum contrarium sensui universae ecclesiae, confirmavit: «Congruum est panem azymum, et vinum purum offerre ad sanctum altare, juxta S. GREGORII penes nos traditionem, non autem aliarum gentium Christianarum traditionem deflectere...»⁷.

De praxi armenorum relate ad aquae omissionem, testimonium adest NERSETIS CLAJENSIS, «Catholicos» Armeniae, qui natus est initio saeculi 12 (ut videtur, anno 1102), et «Catholicos» ab anno 1166. NERSES IV, dictus etiam «il Grazioso», post multam activitatem pastorem, obiit die 13 augusti 1173. In sua Professione Fidei scripsit:

«Et istud de Nobis scriptum erat in epistola: «Non miscentes aquam cum vino Missam celebrant», et circa id

⁷ «Oratio Synodalis - Opera». Edi. Aucher, Venetiis (1834) p. 61.

plura habebamus testimonia, quae brevitatis studio, paucis exceptis, universa referre, inutile existimavimus».

«Primum quia Nos hanc accepimus traditionem ab Illuminatore nostro sancto GREGORIO, quemadmodum ille a prioribus sanctis Patribus, qui ante eum fuere, acceperat».

Et allatis testimoniis Christi et S. IOANNIS CHRYSOSTOMI, concludit: *«Et Nos illorum verbis traditionibusque adhaerentes, aquam propterea non ponimus, sed puro vino incorruptibilis Sanguinis Christi mysterium peragimus»*⁸.

Alius NERSETES, nempe Lampronensis (sec. 12), archiepiscopus Tarsensis, anno 1179, coram Episcopis armenis in Synodo in urbe Romghela, in Cilicia, Orationem Sinodalem habuit, qua traditionem armenam circa aquam in Liturgia non utendam iterum affirmavit, eo quod vinum non nisi ex aqua fit a vite, ideoque non corrumpendum est nova additione aquae⁹.

Praxis armenorum utendi vino puro permansit constanter usque ad nostros dies. Sic ORMANIAN, «Catholicos» orthodoxus armenus, declarat vinum non aqua mixtum esse debet¹⁰.

Haec traditio aquam in sacra Liturgia omittere invaluit etiam apud catholicos, quorum aliqui in Polo-

⁸ «*Sancti Nersis Clajensis Opera*», vol. I, ediz. Cappelletti, Venetiis (1833), pp. 187-188.

⁹ «Altri ebbero il pensiero di esaminare anche il vino, e definirono non esser altro... che acqua cambiata per mezzo della vite in altra qualità di liquore. Se dunque il principio della sostanza del vino è acqua, ... perché volete voi, che tornandosi ad unire l'acqua col vino, lo corrompa?» («*Orazione Sinodale*» di S. Nerses Lampronense, ediz. Aucher, Venezia [1812] p. 133).

¹⁰ «Le vin doit être pur, c'est-à-dire, sans addition d'eau». «*L'Eglise Armenienne*», Paris (1910), p. 89.

nia degentes anno 1635 S.C. Prod. Fide petitionem exhibuerunt, ut eis permitteretur non uti aqua in sacra Liturgia. Ad hanc petitionem S.C. respondit: «*Congregatio censuit non esse permittendum Armenis ad unionem cum S.R. Ecclesia venientibus, ut cum solo vino sacrificium Missae peragant ob plures rationes*». Quorum prima erat:

«*Quia licet huiusmodi mixtio aquae cum vino non de necessitate sacramenti, sed tantum ex praecepto ecclesiae (super quo dispensare potest Papa), nihilominus, quia aqua in vino consecrando miscetur ex traditione apostolica, idque Christus fecisse ex testimoniis sanctorum Patrum creditur, nullo modo debet huiusmodi ritus sacrificandi tolerari aut armenis permitti*»¹¹.

Aliae rationes in eodem loco videri possunt. Concilium Nationale Armenorum anno 1911 habitum praescripsit:

«*Vino in confectione Eucharistiae modicum aquae permiscendum est. Ita docent fere omnes Patres antiqui; ita vetustissimus universalis ecclesiae usus, ita quoque provincialia ecclesiae nostrae concilia, inter quae Sinense et Adanense ineunte saeculo decimo quarto celebrata... Eiusmodi decreta inhaerentes districte praecipimus, ut sacerdotes, dum sacrum faciunt, aquam cum vino misceni, idque non in sacristia et clanculum, sed palam et publice, ut in missali praescribitur*»¹².

EBEDIESUS BAR-BERIKA, metropolita Nisis et Armeniae (obiit 1318), fuit auctor libri «*Liber Margariae*», in quo habetur optima declaratio theologiae nestoriana saeculi XIII, at, agendo de «*Oblatione*»,

¹¹ Collc. Prop. Fide I, n. 81.

¹² Concilium Nationale Armenorum, n. 408.

mentionem facit solius vini, non autem aquae, consequenter ad doctrinam nestorianam¹³.

Ex hucusque dictis apparet traditionem armenam de non miscenda aqua cum vino eucharistico esse constantem, salva aliqua brevi interruptione. Armeni plene consci sunt eorum modum agendi contrarium esse modo in universa Ecclesia recepto et adhibito. Revera contra praxim armenorum omnes ecclesiae orientales proprium sensum patefecerunt illamque reiecerunt in favorem praxis universalis in mundo christiano vigentis.

II. Praxis aliarum ecclesiarum orientalium

Nunc testimonia contra modum agendi armenorum, qui iuxta S.C. Prop. Fide in decreto supra citato, «involvit haeresim monophysitorum, aut saltem de illa est suspectissimus...», sunt breviter indicanda, ut praxis ceterarum ecclesiarum ritus orientalis appareat.

Primum afferendum testimonium sit S. EPHRAEM, syrii, qui in sermone de hebdomada sancta, agendo de ultima coena Domini nostri IESU CHRISTI, dicit:

«Postquam manducaverunt discipuli panem novum et sanctum, et fide intellexerunt se per eum manducavisse Christi corpus, continuavit Christus explicare et tradere totum sacramentum. Accepit miscuitque calicem vini, deinde eum benedixit, signavit ac sanctificavit, profitens suum sanguinem esse qui effundendus erat...»¹⁴

¹³ Tractatus IV cap. V; affertur a MAI, o.c., X, pp. 342-366.

¹⁴ LAMY, «S. Ephrem Syri hymni et sermones» I. Mechliniae (1822-1902) p. 422; ROUËT DE JOURNEI, «Enchiridion Patristicum», ediz. 22 Barcinone (1962) n. 708.

Seaculo VII JOHANNES MARO, etiam syrus, universalitatem aquam in vino miscendi his verbis asseruit:

«Hanc autem traditionem de vini et aquae commixtione aprobat, et agnoscit universa Ecclesia Catholica, ac omnes quotquot Christiano nomine censentur, unis exceptis Armenis, qui aquam cum vino minime miscent, idque ex JOANNIS CHRYSOSTOMI doctrina se accepisse aiunt; verum longe a veritatis tramite aberrant, atque a S. Patris verborum intelligentia toto distent coelo, qui nullo prorsus pacto hoc asseruit, sed solum adversus eos, qui in sola aqua perficiebant, conscripsit; quod autem haec sit pura putaque veritas, inde manifesto patet, quod in omnibus ecclesiis et provinciis, ubi ipsius Liturgia receptissima est, ac in maximo honore habetur, aquam cum vino permisceant. Eandem doctrinam tradiderunt magnus EPHREM, S. JACOBUS NISIBIS, MAGNUS BASILIUS, ceterique Patres»¹⁵.

Eiusdem sententiae fuit GEORGIUS, episcopus Arabum (688-724) et scriptor monophysita, qui contra Armenos non dubitavit scribere:

«Etiamsi iste Gregorius (scilicet, Gregorius, Illuminator) hanc eis legem (nempe, de aqua cum vino non miscenda) posuerit, ut effutiunt, recogitare tamen debebant, GREGORIUM nec maiorem nec excellentiorem esse Apostolis sanctis, qui tradiderunt omnibus ecclesiis, quae sub coelo sunt, ut miscerent aquam cum vino in calice mysteriorum; ut (verbi gratia) PETRUS et PAULUS Antiochiae et Romae, et in confinibus istarum urbium, PAULUS autem et JOANNES Ephesi et Byzantiae, et in ditionibus earum; LUCAS vero et MARCUS Alexandriae et in Aegypto, et in omnibus locis circumjacentibus, et exinde translata fuit et serpsit, et pervenit haec traditio ad caeteras ecclesias Christianas usque in hodiernum diem. Nobis igitur consentiunt quatuor Sedes Patriarchales, quae testantur, miscendam esse aquam cum

¹⁵ «Expositio Ministerii D. Jacobi», cap. XVII, LAMY, I., «De Syrorum Fide et Disciplina in re eucharistica», Lovanii (1859), p. 239.

*vino in Calice oblationis. Ipsi vero (Armeni) ne unum quidem testem habent, nisi solam eorum consuetudinem*¹⁶.

Mar JOHANNES BAR-QURSOS (sec. VI), non solum affirmat aquam esse cum vino miscendam, sed loquitur de loco calicis et de quantitate aquae¹⁷.

JOHANNES X BAR-ŠUŠAN, patriarcha antiochenus (obiit 1072), scribebat Christum ipsum docuisse aquam vino misceri deberi¹⁸.

JACOBUS BAR-SAKKÓ (obiit 1241) eandem doctrinam asserebat ob rationes mysticas, ad significationem sanguinis et aquae quae ex latere Christi profluerunt¹⁹.

DIONISIUS BAR-SALIBI (1171), ob easdam rationes petitioni «Cur calicem vino et aqua miscemus, non autem vino solummodo implemus?» respondit: «Dicimus: quia sanguis et aqua de latere Domini Nostri fluxerunt, quando lancea in cruce apertum est, non vero solus sanguis»²⁰.

Mirum est quod, quoad quantitatem, affirmant aliqui auctores, qui quantitatem vini et aquae eandem

¹⁶ Lettre à Jésus le prêtre», Lamy, o.c. (cf. nt. 14) p. 240.

¹⁷ «Mets le Calice à gauche des hosties, prends garde que le vin ne soit pas corrompu et aie grand soin d'y mêler un peu d'eau» e «Mettez le calice à la droite de l'hostie... Faites ainsi la mixtion: la moitié de vin et la moitié d'eau» (can. 5, apud Rahmani «Les liturgies», p. 150).

¹⁸ «Au sujet de l'eau que nous mettons et que nous mélangeons dans la coupe du Sang, le Christ nous a appris à faire ainsi» «Lettre au Catholicos des Arméniens» ROC, XVII (1912), 184.

¹⁹ «De plus le ferment figure le Christ, la foi et l'âme, le calice dans lequel nous mêlons le vin et l'eau: c'est pour (figurer) le sang et l'eau qui ont coulé du côté de Notre-Seigneur ouvert par la lance sur la croix et non pas seulement du sang» («Livres des trésors», cap. 37).

²⁰ «Expositio Liturgiae» c. 6 CSCO, 93, p. 51.

volunt in calice. JOHANNES BAR-ARGARUS: «... ut mixtum libaminis fiat ex partibus aequalibus vini et aquae. Quod si ob vini raritatem necessitas id postulet, permittitur ut vini pars sit, et duae partes aquae. Ad summum vero, imo et supra summum, pars vini sit, et tres aquae». Haec pro nestorianis. Secundum autem monophysitas, JOANNES TELAE (saec. VI) statuit: «*Et in calice dimidium vini et dimidium aquae misceatur; et si in calice justa humoris mensura deficiat, potest ipse sacerdos supperaddere ei, ex eo quod non est santificatum*»²¹. De quantitate aquae in vino eucharistico, HINDO id explicat ex usibus regionum propter vim vini²².

Saeculo septimo (691) celebratum est Concilium in Trullo, cuius canon 32, post assertum factum omissionis aquae ex parte armeniorum, expositionem mentis S. IOANNIS CHRYSOSTOMI dedit, tandem ut episcopus et presbyter qui aqua cum vino eucharistico non utatur, poena depositionis mulctetur, «ut qui imperfecte mysterium enuntiat et quae tradita sunt innovat»²³.

Huic Concilio etiam Armeni aderant, adducentes in favorem eorum praxis auctoritatem S. IOANNIS CHRYSOSTOMI, quare Concilium,

²¹ LAMY, «Dissertatio de Syrorum Fide et Disciplina in re eucharistica», Lovanii (1859) p. 241.

²² «Pour comprendre cette prescription au sujet de la quantité d'eau à mélanger avec le vin, se rappeler qu'en Syrie et in Mésopotamie, le vin étant très fort, il ne cesse d'être vin même s'il est mélangé avec de l'eau dans cette proportion. Le "Catholicos" nestorien JEAN BAR-ABGAR permet même, dans certains cas, le mélange de deux tiers d'eau, avec un tiers de vin. Cette coutume s'approche davantage des usages des anciens, qui remplissaient leurs coupes de plus d'eau que de vin». (Disciplina Antiochena Antica-Siri» Vaticano [1941] p. 175, nota 1).

²³ Homilia in Mat. 82, PG 58, 740.

«ut non ab hoc tempore in posterum ignorantia teneantur (scilicet Armeni), patris sententiam orthodoxe aperimus. Cum enim improba hydroparastatarum antiqua esset haeresis, qui pro vino sola aqua in proprio sacrificio utuntur, refellens hic vir divinus iniquam eiusmodi haeresis doctrinam et ostendens quod directe apostolicae traditioni adversantur, supra dictam edidit demonstrationem.». Et addit «Quoniam ad suae ecclesiae, ubi pastorem curam suscepit, aquam vino miscendam tradidit, quando incruentum sacrificium peragi oporteret...»²⁴, can. 32.

Ecclesia aethiopica disciplinam ab ecclesia coptica recepit, et in libro «Fetha Nagast» invenitur cura de vino adhibendo et aqua miscenda²⁵.

Post concilium Trullanum celebratum est Concilium Florentinum (1431-1445), in cuius «Bulla unionis Armenorum» (22-10-1439), disciplinam Armenorum

²⁴ Nella Liturgia de Chrysostomo si legge «Uno dei soldati trafisse con la lancia il suo costato, e subito ne uscì sangue ed acqua; e colui che vide ne rese testimonianza, e la sua testimonianza è veritiera». Il Diacono versa nel s. Calice vino e acqua insieme, dicendo prima al Sacerdote: Benedici, signore, la santa unione». Il Sacerdote benedice, dicendo: «Benedetta l'unione dei tuoi santi doni, in ogni tempo, ora e sempre, e nei secoli dei secoli. Amen».

²⁵ «Il vino si ponga in un calice, e si osservi che sia puro, ecc., e non si offra di esso, se non è limpido e puro. Chi mette in ordine il Calice non vi ponga vino vecchio (cioè, guasto) e non si mescoli acqua più che una terza parte, che se il vino trovasi molto nel paese (cioè, se vi è abbondanza) vi mescoli una decima parte di acqua...» (Parte I, cap. XIII). Il «Fetha Nagast» è una traduzione in geèz del nomocanone di IBN AL-ASSÂL, che intese dare ai copti una guida civile e ecclesiastica, ma la parte civile, che non era propria per gli abissini, tuttavia fu conservata. Nella prima parte ecclesiastica, alcuni capitoli p.e. sui patriarchi, sui vescovi, erano inutili. In ogni modo il «Fetha Nagast» porta come sottotitolo «Legislazione dei Re». Cf. GUIDI, I, «Fetha Nagast» o «Legislazione dei Re», tradotto e annotato» Roma, pp. VI ss).

de non usu aquae in vino eucharistico perspicue declaravit. Huiusmodi usus, juxta testimonia sanctorum patrum ac doctorum ecclesiae, ab ipso Christo, ut creditur, fuit institutus, et affert testimonia sive ALEXANDRI V (Corpus iuris canonici, ediz. Lipsiensis, vol. 1, pag. 1314) sive IULII II (o.c. 1315-1317). Denique, allatis aliis testimoniis et motivis, declaravit *«inconveniens admodum videtur, ut alia quaevis regio ab hac universali et rationabili discrepet observantia»*; et tandem Concilium praescripsit: *«Decernimus igitur, ut etiam ipsi Armeni se cum universo orbe christiano conforment eorumque sacerdotes in calicis oblatione paululum aquae, prout dictum est, vino admisceant»* (Sessio VIII).

Ut mens Concilii clare appareat, notandum est alias Bullas unionis Concilium emanasse: Bullam unionis Coptorum (4-2-1442), Bullam unionis Syrorum (30-12-1444), Bullam unionis Chaldeorum Maronitarumque Cypri (7-8-1445), in quibus quaestio de aqua in vino adhibenda non fuit agitata, etsi occasio non defuit. In istis ecclesiis, enim, nullum erat dubium de obligatione utendi aqua cum vino in sacrificio eucharistico. Haec autem ultima Bulla data est «apud S. Petrum» non «apud Lateranum», sed e contextu constat «sacro Concilio approbante statutam esse»²⁶.

Tempore quo Concilium Florentinum celebrabatur, SYMEON TESSALONICENSIS (saec. XV) vehementer contra Armenos eorumque praxim de aqua cum vino in Liturgia non adhibenda exurgit²⁷.

Quaestioni ab Armenis in Polonia degentibus, anno 1635, de qua supra dictum est, propositae, S.C.

²⁶ HOFMAN, G., «Das Konzil von Florenz in Rom», OCP 15 (1949) 78.

²⁷ «De sacra Liturgia», cap. 93, PG, 155, 275-279.

de Prop. Fide responsum dedit nonnisi post celebratum Concilium Florentinum: ideo, post allatas alias rationes, quae responso negativo commendabant, addit: «*Tertia est, quia s. Concilium Florentinum, in instructione ad Armenos, per verbum "Decernimus" iubet Armenis unitis ut parum aquae in vinum misceant in sacrificio*»²⁸.

Tandem Concilium Armenum Nationale, anno 1911 Romae adunatum, praescripsit: «*Districte praecipimus, ut sacerdotes, dum sacrum faciunt, aquam cum vino misceant, idque non in sacristia et clanculum, sed palam et publice, ut in missali praescribitur*»²⁹.

III. Codex Canonum Ecclesiarum orientalium

Canon 706 Codicis canonum ecclesiarum orientalium de sacris donis, quae in Divina Liturgia offeruntur, dicit: «*sunt panis mere triticeus recenter confectus ... et vinum naturale de genimine vitis non corruptum*»: in hoc canone commixtio aquae cum vino in sancto sacrificio omittitur, quae omissio rationibus efficacibus nullatenus commendatur et graves sequelas inducit, ut sunt correctio necessaria omnium conciliorum orientalium, et grave impedimentum oecumenicum, cum ritus miscendi aquam cum vino proprius sit omnium ecclesiarum orientalium sive catholicarum sive non catholicarum.

Præterea omissio in canone de aqua in vinum effundenda minime ut involuntaria considerari potest, cum in praecedentibus schematibus canonum aquam

²⁸ Collect. de Prop. Fide, 30-1-1635, I, n. 81.

²⁹ Cf. supra notam 12.

cum vino miscendam esse, expresse declaratum esset³⁰.

Schema Codicis Iuris Canonici Orientalis (an. 1986) habebat canonem 703, 1°, pag. 151, in quo dicebatur «*modicam aquam vino esse miscendam*». At in coetu ad expendendas observationes factas a membris commissionis admissa fuit opinio alicuius membri coetus, secundum quod iam non videtur insistendum in rationibus doctrinalibus quoad hoc³¹. Haec declaratio, quae praxi antiquorum armenorum favere videtur, recepta fuit a coetu, qui, factum celebrationis Divinae Liturgiae a Romano Pontifice in Basilica S. Mariae ad Trastevere, die 21-11-1987, tamquam argumentum decisivum attulit³². Ideo facta est nova redactio canonis, in qua ne verbum quidem de aqua miscenda.

Admissio a Commissione et consequens redactio canonis, quae vero fundamento carent, graves consequentias creant. Omissione facta de ratione a membro allata, ignorari non potest commixtionem aquae cum vino eucharistico non esse merum usum, sed verum ritum, cum traditione quae a primis temporibus provenit, quem ipsi armeni primis temporibus adhibuerunt, postea, praeter alias circumstantias, etiam ob aversionem contra graecos, hunc ritum omiserunt³³.

³⁰ NUNTIA, n. 15 (1982) can. 41, p. 29.

³¹ «Sembra che l'uso di mescolare acqua al vino non abbia oggi un significato dottrinale, come nei secoli passati (1 membro)».

³² «Si accetta anche sulla base della recente revisione della Liturgia armena messa in pratica nella Divina Liturgia celebrata nella Basilica di Santa Maria in Trastevere il 21 nov. 1987, nella quale si è usato "il vino puro"». *Nuntia* n. 28 (1989), p. 702.

³³ GOAR, «Euchologium seu Rituale graecorum», Venetiis (1730) p. 50, ait» Diaconus autem infundendo in sanctum calicem

Non est negandum quod per admissionem opinionis membri in favorem disciplinae armenorum, caeterae ecclesiae orientales earumque disciplina prorsus posthabeantur et contemnantur. Nam omnes ecclesiae ritus orientalis ritum commixtionis aquae cum vino eucharistico habent et in earum conciliis hunc ritum praescribunt. Ideo propriam disciplinam mutare coguntur, ut usui armenorum se conforment, cum consequenti abrogatione paritatis quae inter omnes ecclesias orientale vigere debet³⁴.

Ad novum formulandum canonem, cum omissione aquae cum vino miscendae, magnum momentum conceditur celebrationi pontificiae Liturgiae cum vino puro, absque aqua. Non autem videtur ritum antiquissimum et universalem, sive apud latinos sive apud orientales, catholicos et non catholicos, vigentem, sublatum esse sine ulla expressa declaratione, eo vel magis quod Concilium Florentinum ritum de aqua cum vino miscenda armenis expresse praescripsit, et in Codice latino, can. 924, § 1^o, huiusmodi praescriptio habetur.

Denique momentum oecumenicum quod huiusmodi ommissio haberi potest, cum per hanc omissionem, quae nullo pacto involuntaria dici potest, grave ostaculum vero oecumenismo creetur. Verum est Codicem solos catholicos ritus orientalis afficere, at impositio expressa de novo ritu, id est de aqua non utenda in sancto sacrificio, servando, gravissime a catholicis et a non catholicis, qui suo ritui fortiter sunt affecti, iudicabitur.

vinum et aquam simul, cum prius sacerdoti dixerit: «Benedic, Domine...».

³⁴ Concilium Vaticanum II, «Orientalium Ecclesiarum», n. 3).

Patriarcha chaldeus GIUSEPPE AUDU, in Concilio Vaticano I dixit:

«Omnes enim sciunt quod orientales populi ita in antiquae disciplinae ritibus, consuetudinibus ac privilegiis eorum ecclesiae adeo tenaces sunt, ut vix aliquid parvi momenti mutari patiantur sine magno tumultu et gravibus scandalis, quae quoties fiunt, non sine animarum detrimento supprimuntur...»³⁵

Quod de catholicis dicitur, maiori, vel saltem eadem cum ratione, acatholicis applicari potest, quia in huiusmodi ritus mutatione, aut suppressione, argumentum contra oecumenismum ab Ecclesia catholica promotum facile ipsi invenire poterunt, cum gravi detrimento oecumenismi, eo vel magis quod ista praescriptio, quae necessaria non erat, afficiat ritum orientalem, qui innovatur, et quidem ab auctoritate a non catholicis non admissa. Unde actioni oecumenicae non parva difficultas superveniet.

Ergo, traditio orientalis, nisi gravis aliqua ratio aliud postulet, in iis quae ritum attingunt omnino sequenda est, ne accusationi de ignorantia et, peius adhuc, de voluntate ritus orientales innovandi, verum fundamentum praebeatur.

C. PUJOL, S.J.

³⁵ Mansi, 50, 513-518.